Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1341

Quelle:
Copyright:

cius. Et quia liber edificatorius eſt multum, debemus non eſſe difficiles ad communicandum, ſicut nobis fieri volumus ſemper. feliciter in domino ſemper. Ex quo liquet clauſulam hanc adjectam eſſe poſt an. 1455. quo *Martinus* Abbas 29. *Julii* deceſſit, ut teſtatur *Joh. Raſch* in ſerie Abbatum *Scotenſium* vernacule edita 1586. 4. qui addit, *Martinum* hunc deſcribendis Codicibus multum occupaſſe librarios ad reſtaurandam Coenobii ſui Bibliothecam. Sed nempe tunc jam in foribus aderat Typographia. Plura de *Martino Hier. Pezius*, qui ejus *Senatorium* ſ. *Dialogum hiſtoricum* T. II. *Scriptt. Rer. Auſtr.* p. 623. inſeruit.

III. *fol.* 55. *Fratris Leonardi de Valle brixinenſi Inquiſitio Quomodo veritas ſe habeat ad iuſticiam miſericordiam et pacem. Et ſimiliter que ſit habitudo vnius cuiusque horum quatuor ad ſingulum alterum ipſorum.* &c.

IV. *fol.* 58. *Incipit Tractatus de diuinis predicacionibus.* Ad marg. infer. dicitur ſumtus *de lecturis fratris Leonardi lectoris conventus wien. ord. pred.* et incipit: *Qualiter ſentiendum ſit ac loquendum de diuinis perſonis ſecundum magiſtrorum et ſanctorum katholicas aſſertiones Dominus Hugo Cardinalis ſacrarum ſcripturarum expoſitor. et doctor egregius tradit compendioſe in tractatulo ſuo qui incipit Juxta ſanctorum tradicionem quem per modum epilogi et excerpti circa lecturam ſuam ſuper Sententias ordinauit* &c. In hanc igitur Epitomen commentatur *Leonardus;* verba vero, quae citat, *Hugonis a S. Caro*, exacte reſpondent initio *Commentarii* ejus in *L. I. Sentent.*

V. *fol.* 92. Fragmentum Vitae S. *Maximiliani Celejenſis* Ep. et M. Incipit: *Maximilianus quaſi maxima libans, libare enim duo ſignificata complectitur videlicet guſtare et ſacrificare* &c. Integram edidit ex *Codd.* mſs. Cl. *Hier. Pezius* T. I. *Scriptt. Rer. Auſtr.* p. 22. adjiciam tamen ex noſtro locum de *Dioeceſi Laureacenſi*, qui in quibusdam ſincerior videtur: *Cuius prouincie termini dicuntur fuiſſe ab oriente foſſatum ſiluanum, ab occidente flumen lycaos, quod germani lech nominant, et per metas occidentales nappa ekara ordita, a meridie liburnia quam drabus flumen percurrit, ab aquilone autem wandalus pelſa lacus et Tyzza flumen.*

VI. *fol.* 97. Excerpta quaedam ex *Rabano M. Hugone Poſtillatore, Rob. Holkot, Nic. Gorrano* &c. de Libro Sapientiae, aetatibus Mundi &c. in uſum Praelectionum ſupra dicti *Leonardi de Vallebrix.*

VII. *fol.* 111. Excerpta ex Lectura Magiſtri *Franciſci de Retza Ord. Praed. contra peccata et ſcandala que a multis tempore Carniſpriuij beſtialiter perpetrantur.* De Etymo germanicae vocis *Faſtnacht* vel *Faſching* multa hic ridicula proponuntur: *Videtur dici Vaſchank quaſi Vach ſchant, quia iam diſſolutio vbique oſtenditur*